



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Cap. 16. De procuratione Gasparis Sobrini.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38528

Europæarum frugum omnium capacem, &, quod maximè avebant, argenti atque auri fodinas Barbari occultare dicebantur. Quamquàm non defuere, qui facilia hæc initia, ob solitam novorum colonorum habendi cupidinem, infelici exitu terminatum iri vererentur.

DUM hæc agerentur, Gaspar Sobrinus per Europam procurabat auxiliares Socios, quos non difficile fuit ab Philippo Quarto Rege Catholico, ad Christi imperium dilatandum intentissimo, impetrare. Præsertim cum ejus Majestati nupertimè per litteras fluminis Argentei Prætor eo nomine Societatem JESU commendasset, quod latissimas undique provincias Christo & Hispano nomini domuisset: & superessent aliæ ad Urvaicam regiones, quibus subjiendis excollendisque Societatis homines aptissimi viderentur. Designato ab Mutio Vitelleco Generali exiguarum copiarum supplemento, Gaspar Sobrinus, Urbano Octavo benè appetente, magnis itineribus Ulissiponem contendit. Quò cum etiam convenissent ex variis Europæ provinciis quadraginta-duo Socii, decimo-quinto calendas Martias, Patribus Ulissiponensibus, honoris ergò, non sine piæ emulationis indicio ad navem usque comitantibus, solvere. Ibant bini, nullo nationum discrimine (nam Italos, Belgas, Burgundos, Lusitanos, Hispanos caritas unos effecerat) ibant, inquam, bini, antequam solverent, per urbem Regiam, frequenti sanè populo ex plateis & editioribus domuum partibus generosos Athletas despiciente, admiranteque quantà alacritate Oceani procellis, & si res ferret, Barbarorum telis se dicatum irent. In navi, distributis ritè temporibus, omnia peragebantur, seu spectes privata Religiosorum pensa, seu cæteras in nautarum utilitatem impensas operas; adeò ut assiduitate evictum sit, ne quis nautarum vectorumve vel leve juramentum, vel nudum salaxque verbulum, totà navigatione excidere sibi pateretur. Tantum valet continuatum ad virtutem incitamentum, præsertim ubi multorum exemplis fuerit corroboratum. Ita felicissimo cursu ad Januariensem Brasiliæ portum appulere; urbis Præfecto cum cætera nobilitate, & Collegii nostri Sociis, benevolè & magnificè Religiosos hospites excipientibus. Ibi relictis octiduo corporibus, se rursus mari committentes, Divino Spiritu optimis votis aspirante, Boni-aëris portum pridie Calendas Maias insolitâ celeritate tenere. In portu prætolabatur venturos Provincialis Durandus, cujus iussu ducentis & amplius leucis secundo flumine descenderant aliquot Neophyti, Musicæ periti, subsidiarios advenas, pro quorum incolumitate octies millies Paraquarienses Socii Sacrificia immolaverant, cantu, saltationibus & aliis gratulationis officiis hilariter excepturi.

JAM quindecim dies mutæ Patrum aggratulationes tenuerant, cum ex improviso armata navis lembo comitata in urbis conspectum se dat; quæ, quòd nihil aliud ageret, quàm altitudinem latitudinemque fluminis bolide tentare, hostilis ea credita est. Quapropter Prætor Regius arma cives capeffere, & in omnem nuntum præsto adesse jubet, veritus ne quemadmodum Hollandi præcipuam Brasiliæ urbem, præmissâ itidem exploratoriâ navi, cæterisque post subsequenteribus, nuper interceperant, ita non absimili stratagemate Boni-aëris portum invadere vellent. Triduo tamen, postquam in conspectum venit, nullo tum præter metum illato damno, in altum vela vertit. Dies pauculi effluxerant, cum undecim circiter à portu leucis sub area lignea multa schedia, ab ipsis piratis importata, in ipso litore inventa sunt, quæ prodebant prævæ gentis virulentum animum. Octo erant libelli hispanicè conscripti, typis Hollandicis excusi, cum hæc inscriptione: *Justitia Peruviana vita salus, &c.* Librorum synopsis hæc erat: *Obedientiam Romano Pontifici abjurato: Regi Catholico legitimum in Indias Occidentales jus denegato: qui rebellaverit, omnia summa sperato: Indi & Æthiopes, mancipia, si Regis jugum excusserint, libertate & aliis premiis donantur.* Quæ omnia adeò illecebrosè doloseque explanabantur, ut verendum fuerit, si in plebeculæ manus devenissent, eorum animos, qui Religionem corporis utilitatibus postponunt, labefactatum iri. Ita homines Regi perduelles, seipfos corrupisse non contenti, leonina feritate & vulpinis dolis

Ec

Optimo-

CAPUT XVI.

De procuratore Gaspari Sobrini.

*Philippi IV. pia munificentia.**Urbanus VIII Socii bene apprecatur.**Sociorum navigatio.**In Brasiliam appulsi.**Et ad portum Boni-aëris.*

CAPUT XVII.

De subsidiariorum Sociorum periculo.

*Piratarum naves.**Dolis detectus.*